Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1657
Quelle:
Copyright:

XVII. Non ignorat Amplitudo V. &c. *Mediolano. 2. Oct.* 1565.

XVIII. Mihi erat in animo constitutiones &c. *Mediolano. 13. Sept.* 1566.

XIX. *Questa mia sarà per uisitar* &c. Roma. 29. Apr. 1564.

Praeter ipsum hoc Exemplar extat in Bibliotheca etiam Απογραφον aevo, ut videtur, *Dan. Nesselii* sumtum.

DCXCV.

E. 47. a Codex membraneus gall. Sec. XV. Folior. 305. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus, praeter initiorum literas auro coloribusque speciosas, pictura frontis Redemtorem in atrio templi sedentem adgeniculantibus diversae conditionis et professionis viris feminisque, et Sacerdotibus ad latera peccatorum confessiones excipientibus referente decoratus, adpicto inferne Scuto ad extinctam, ut videtur, *Ramburiorum* Familiam pertinente, cum reliqua *Eugenii Sabaudi* Bibliotheca in Caesaream transiit. Incipit ille minio: Cy *commence le prologue du liure de la vie de nostre saulueur ihesucrist. Fundamentum aliud nemo potest ponere ut ait apostolus* &c. Habemus igitur *Ludolphi* seu *Leutholfi de Saxonia* Viri piissimi, qui ex Ord. Praed. in Carthusiam *Argentin.* transgressus medium Seculi XIV. vivendo non adtigit, Meditationes in Vitam Servatoris divisas in *Capita*, quarum singula in sacram Precationem definunt. Pluries jam illae Sec. XV. typis datae sunt, etiam versione gallica, quae interpretem prodit F. *Guilelmum le Menand* O. M. teste *Quetifo* in *Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 568. Est vero et alia Versio, si *Deburium* in *Cat. Bibl. Valler.* T. I. p. 43. audias, autore *Joh. Mansel Hesdinensi*, unde, quamnam e duabus *Codex* noster referat, dicere non habeo, in Curiosorum tamen gratiam adscribam initium: *A ledifice spirituel nul ne peut mettre autre fondement fors cellui qui y est lequel est nostre seigneur ihesus. Saint augustin dit que dieu est chose souuerainement souffisante et homme est chose souuerainement defaillante. Et que dieu est tel bien que nul bien ne peut uenir a ceulx qui le delaissent.* &c. Continet porro *Pars* haec I. *Capita* LXI. quorum Elenchus ad calcem *Codicis* jacet, *Capite ult.* inscripto: *De locupacion de marthe, et du repos de marie sa seur.* Itaque deviat ab Exemplo latino, cujus *Pars* I. protenditur usque ad *Capita* XCII. et Confessionem *Petri.* Perperam etiam *Cap. ult.* subjungit Precationem, quae non ad *Martham* et *Mariam*, sed ad *Mulierem Samaritanam* et *Cap.* LXII. pertinet.

DCXCVI.

Codex membraneus gall. praecedenti in omnibus par, Folior. 324. est *Pars* II. *Ludolphi de Saxonia de Vita Christi.* Icon frontem exornans Historiam *Mulieris Samaritanae* ad fontem eleganter E. 47. b

reprae-